



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Flores Meditationvm

Bebius, Philippus

Coloniae Agripp., 1623

Medit. 46. De Sexto verbo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59636](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-59636)

fima largiuntur, aut eos verbis asperè & ini-
què excipiunt.

5. Mundo vīnum bonum, Christo acetum
dant, qui vt suas cupiditates satient, & homi-
num voluntates sibi concilient, aut in honore
vel lucro adipiscēdo omnes curas cogitatio-
nesque consumunt, non tempori, non labori
parcentes. At in rebus ad salutem spectanti-
bus tepidi sunt & negligentes neque quic-
quam pati, neque sumptus aut danni quic-
quam ferre sustinent.

6. Bona opera sua Christo in cuspide arun-
dinea offert (vt milites spongiam aceto ple-
nam obtulerunt) qui in ijs hominum gloriam
& mundi honores spectat.

7. Si quando contingat nos famei & sitim
pati, gaudemus quod aliqua se nobis imitan-
di Christi offerat occasio, qui hæc ipsa pro no-
bis passus est in cruce.



MEDITATIO XLVI.

DE SEXTO VERBO.

PVNCTA MEDITATIONIS.

I. Cum accepisset IESVS acetum. *Ioan. 19.*

II. Dixit : C O N S V M M A T V M
E S T.

F I G V R A.

C O M P L E V I T Deus die septimo opus *Gen. 2.*
Cium, quod fecerat.

PRO-

PROPHETIÆ.

Dan. 9. SEPTVAGINTA Hebdomades abbreuiatae sunt super populum meum, & super urbem sanctam tuam, & consummetur prauicatio.

Isaiæ 10. Consummationem & abbreuiationem Dominus exercituum fecit in medio omnis terræ.

Ibidem. Adhuc paululum modicumq; & consumabitur indignatio, & furor meus super scelus eorum.

DOCUMENTA.

1. Impendenda planè sunt omnia diuino obsequio, in eoque omnia absoluenda, in hoc vnum, omne tempus, omnes fortunæ conferenda, immo & nosipsi, & omnia nostra; non secus ac Christus ipse saluti nostræ procurandæ, se totum impendit, omniaque cumulatissime perfecit.

2. Nemo se speret ingressurum cum Christo in gloriam, nisi ad finem inueniatur perfectè cum ipso consummasset. Laboremus igitur, vt caritatis igne consumimemus imperfectiones in hac vita: ne poenarum igne consummemur in altera.

3. Christus Dominus mansit in Cruce, donec consummasset omnia. Beata anima quæ constanter in bono proposito ad finem usque perseverans, cum B. Paulo in extremis potest

2. Tim. 4 dicere: Cursum consummaui, fidem seruaui Domino meo.

4. Hoc

4. Hoc verbo *Consummatum est*, Christus indicauit, tantum se fecisse amore nostri, quantum facere potuerit. Decet ergo, ut & nos, si Christum amamus, liberaliter nos illi donemus, & integrè, nec quicquam nobis retineamus, quemadmodum & ipse largus in nes fuit.

5. Principia & exitus actionum omnium Christo sunt consecranda, sicut ipse amore nostri cœpit, & consummavit opus redemptio-
nis nostræ.

MEDITATIO XLVII.
DE MORTE CHRISTI,
ET DE VERBO SEPTIMO.

PVNCTA MEDITATIONIS.

- | | |
|---|------------------------------------|
| I. Et clamans voce magna IESVS, | <i>Mat. 27</i> |
| II. ait: Pater in manus tuas commendabo
spiritum meum. | <i>Mar. 15.</i>
<i>Luc. 23.</i> |
| III. Et inclinato capite, emisit spiritum. | <i>Ioan. 19.</i> |

FIGVR A.

A BEI iustus innocenter occisus est ex *Gen. 4.*
inuidia, à fratre Cain.

PROPHETIÆ.

IN manus tuas commendabo spiritum *Psal. 30.*
meum.

Tradidit in mortem animam suam. *Ezai. 53.*
Post